MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81213-20

AUTHOR:

FECHT, FRID. WILHELM A.

TITLE:

DE GRAECI AORISTI...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1844]

Master Negative #

93-81213-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887 Fecht, Friedrich, Wilhelm August, 1821-
24 De Graeci aoristi significatione.
Berolini, 1844. Nar. D. 28 + 3, p.

No. 7 of a volume of pamphlets

108563

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/26/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

No. 7.

DE

GRÆCI AORISTI SIGNIFICATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

UT

SUMMI IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. M. MARTII A. MDCCCXLIV. H. XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRID. GUILELMUS AUG. FECHT

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

LUD. DILTHEY, theol. Cand.

RICH. BERGMANN, phil. Cand.

ANDR. VOIGTLAENDER, phil. Dr.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PARS PRIMA.

QUAE A VIRIS DOCTIS DE GRAECO AORISTO JAM PROLATAE SUNT SENTENTIAE IN EXAMEN VOCATAE.

Suscipientibus nobis novam de Graeco Aoristo quaestionem, ne novandi tantum cupidi videamur, quae jam feruntur de illo tempore doctrinae quam parum ab omni parte perfectae sint, brevi est exponendum.

I. SENTENTIAE VETERUM GRAMMATICORUM.

A. Initium igitur facientes a Graecae grammaticae primordiis, jam veteres grammaticos (1) de aoristi vi inter sese dissensisse videmus.

---

(1) Nam veteres jam philophos de aoristo doctrinam habuisse non nego; tamen ex Aristotelis quidem verbis (Nat. Ausc. 4, 13 p. 222 a. 20) „πότε βαδίζεις; ἤδη βεβάδικα — πότε ἦλθες; ἄρτι, ἐὰν ὁ χρόνος ἐγγὺς τοῦ ἐνεστῶτος νῦν· πάλαι δὲ τὸ πόῤῥω" hanc deduci posse doctrinam: der Unterschied zwischen Perf. und Aor. scheint für Arist. darin zu bestehen, dass ersteres eine unmittelbar vor der Gegenwart vollendete Handlung bezeichnet, letzteres die Zeitnähe seines Factums zur Gegenwart unbestimmt lasse", non concedo Schwalbio (Beitrag zur hist. Entwicklung der Lehre v. d. Temp. u. Mod. 1838); quum, qui Graecos ἄρτι et πάλαι etiam imperfecto addere sciat (ἑώρων αὐτὸν ἄρτι πρὸ τοῦ δικαστηρίου. Dem. Mid. 2 b Buttm. οὐδέν σοι ἄρτι ἐδοκοῦμεν λέγειν. Pl. Crat. 438. c. ὅπερ πάλαι ἐγὼ ἔλεγον. ib. 436 b), Aristotelem illo loco pro aoristo etiam imperfecto uti potuisse agniturus sit.

Horum enim sunt, qui doceant: »Aoristum perfecti et plusquamperfecti certas significationes ita in sese conjungere, ut aut *ἄρτι* aut *πάλαι* quamvis non addito, tamen subintellecto aut perfecti aut plusquamperfecti munere fungatur«:

Ὁ γοῦν καλούμενος ἀόριστος, προςλαβὼν τὸ πάλαι, ὑπερσυντελικὸς μᾶλλον ἀκούεται· ἐμπεριέχει γὰρ τὸ παρῳχημένον τοῦ παρακειμένου καὶ τοῦ ὑπερσυντελικοῦ — ἔνθεν καὶ τῆς ὀνομασίας ἔτυχε κατὰ ἀπόφασιν εἰρημένος τοῦ μὴ ὁρίζειν τὸν παρῳχημένον. Apol. Dysc. in Bekk. Anecd. p. 534 l. 25 sq. *Ἀόριστος δὲ ἐκλήθη πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ παρακειμένου καὶ ὑπερσυντελικοῦ, ὁριζόντων τοῦ χρόνου τμῆμα, τοῦ μὲν τὸ ἄρτι συννοούμενον ἔχοντος, οὐ λεγόμενον, τοῦ δὲ ὑπερσυντελικοῦ τὸ πάλαι.* Schol. Dionys. Thrac. ib. 892 l. 7 sq. cf. ib. p. 889 l. 27. sq. et Priscianum VIII. p. 310 ed. Putsch.

Quae doctrina, quamvis inde jam satis refutata, quod aoristum in duas distrahit significationes praetereaque supervacaneum reddit tempus, tamen speciosiore gaudet fundamento, quam quod silentio praeterire possimus. Nititur enim haud dubie eo, quod, ubi e strictis mentis legibus plusquamperfectum exspectatur, saepissime usurpatum invenimus aoristum (cf. Reizium de temp. et mod. p. 5, 6; Schweigh. ad Her. 1, 86 p. 101; Schaefer. ad Long. p. 397; Jacob. ad Luc. Tox. p. 98; Fischer. ad Weller. III, 2. p. 54, Winer. gram. d. neutestam. Sprachid. §. 34, 5; Excurse p. 87; Matth. gr. gr. §. 488 a; Buttm. §. 124, 3; Kühner. p. 444) (1). At vero talibus aoristum plusquamperfecti significatione uti nullo modo probatum est. Nam omnibus illis locis enuntiata, quae re vera subordinata sunt, a Graecis ut coordinata adspecta esse, optime docent ea exempla, in quibus particulae enuntiatorum inter sese conditionem significantes omnino fere neglectae sunt, ut Od. 6, 85 *αἱ δ᾽ ὅτε δὴ ποταμοῖο ῥόον περικαλλέ᾽ ἵκοντο, ἔνθ᾽ ἤτοι πλυνοὶ ἦσαν ἐπηετανοὶ, πολὺ δ᾽ ὕδωρ — ἔνθ᾽ αἵγ᾽ ἡμιόνους μὲν ὑπερπροέλυσαν ἀπήνης* (tanquam initio dictum sit: *αἱ δ᾽ ἄρα δὴ* vel tale quid), aut Il. 18, 349: *αὐτὰρ ἐπειδὴ ζέσσεν ὕδωρ ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ — καὶ τότε δὴ λοῦσάν τε κ. τ. λ.*, ubi e particula *καὶ* adjuncta enuntiationem ab *ἐπειδὴ* incipientem ut primariam intellectam esse apparet. Quae quum ita sint, fieri non potest, quin imperfectum quoque, quippe quod idem historicum tempus sit (cf. infra p. 18),

(1) Nam grammaticos illos *ἄρτι* pro *νῦν* et *πάλαι* pro *τότε* accepisse persuasum mihi est. Quippe perfectum significat actionem simpliciter (*νῦν*) praeteritam; plusquamperfectum, quae alteri praeteritae (*τότε*) praecedit. Sin vero grammaticorum verba sic interpretamur, tamquam perfecto rem modo, plusquamperfecto diu jam perfectam designari putaverint, quae sane Prisciani fuit doctrina (cf. p. 814 „Evander ap. Virg. 8,340 de matre sua dicit cecinit — pro cecinerat. Sic Italiam fato profugus Lavinaque venit litora pro venerat; hic enim quoque multo ante intelligit venisse Aeneam in Italiam"), ita ut aoristi vim ab illis in eo positam esse dicendum sit, ut rem et modo et diu jam perfectam designet: tum, sicuti perfecti et plusquamperfecti alias esse significationes jam plurimi intellexerunt (cf. Clarkium ad Il. 1,37 n. 4; Oeder. Chronol. gammat. p. 13 sq; Reiz. de temp. et mod. p. 8), eadem ratione illam quoque de aoristo doctrinam ad nihilum redigi, facile est intellectu.

pro plusquamperfecto usurpatum videatur, quod plurimis probatur exemplis (cf. Fischer. ad Weller. III; 2 p. 54 n. 4; Poppo. ad Thuc. 1, p. 155; Bornemann. ad Xen. Anab. p. 5; in act. Monac. II. p. 179; Krüger. ad Xen. Anab. 1, 2, 22; ad Dionys. Hal. p. 304; Maetzner. ad Antiph. p. 215, 216; Naegelsbach. ad Il. Excurs. p. 254), in quibus, qui nostram interpretandi rationem despiciat, ei imperfectum quoque plusquamperfecti significationis particeps esse dicendum est; quod quis audeat? Nec aliter apud Romanus quoque et perfectum usurpatum videmus (cf. Hueppe de vi atque usu ind. temp. perf. et imp. ap. Lat. Koesfeld. 1839 p. 9), quod post particulas postquam, ubi, ut etc. vix omittitur, nec non imperfectum, ut Caes. b. G. 7, 44: »Animadvertit collem, qui superioribus diebus vix cerni poterat«, unde fit, ut postquam particulam cum imperfecto quoque conjungere liceat (Boetticher. lex. Tac. p. 365; Kritz ad Sall. Iug. 13, 5). Vera horum enuntiatorum inter sese conditio atque relatio ponuntiatione dilucida efficitur atque voce mutata, quippe cujus modulatio propiora quasi a remotioribus disjungat (1). Qua-

(1) Ceterum tale non esse discrimen inter plusquamperfectum et aoristum pro plusquamp. usurpatum, quale veluti Sommerus ponit (Biblioth. critic. 1828 p. 735): „Thnc. 1, 102 den blossen Rüskzug bezeichnend sagt: ἐπειδὴ ἀνεχώρησαν, ξύμμαχοι ἐγένοντο; aber das Plusq. ἀνεκεχωρήκεισαν würde heissen, dass der Rückzug sie in eine bleibende Lage gebracht, in der sie sich damals befanden", optime probant tales loci, qualis est Antiph. 1, 18: ἐπειδὴ γὰρ ἐδεδειπνήκεισαν, σπονδάς τ' ἐποιοῦντο coll. c. ib. 20: ἐπειδὴ ἀπέσπεισαν — ἐκπίνουσι ὑστάτην πόσιν.)

propter e levi tantum observatione illorum grammaticorum doctrinam fluxisse satis superque credo demonstratum est.

B. Tamen e leviore etiam consideratione profecti sunt scholiastae aliquot, quos futuri quoque significationem aoristo tribuisse e nonnullis eorum apparet adnotationibus, ut ad Thuc. 1, 23: ἔγραψα πρῶτον ἀντὶ τοῦ γράψω μετ' ὀλίγον et ad Callim. Hymn. in Del. v. 204 ἐφύλαξα ἀντὶ τοῦ φυλάξω et ad Eur. Phoen. 216 κατενάσθην ἀντὶ τοῦ καταναθήσομαι, qualium tamen plures afferre eo minus necessarium mihi videtur, quo magis vix refutatione indigent. Nam, ut de iis locis taceam, quae e praefationibus sumta, aoristum continent de rebus postea demum expositis, quippe quum praefationes tum demum scribi soleant, quum opus ipsum jam perfectum est: in vaticiniis tantum aoristus pro futuro usurpatus videri potest, sicuti vates ab ipso futuro nonnunquam in aoristum transire scimus (cf. Pindar. Isthm. 5, 51 cum Boeckhii adnotatione); attamen hi loci haud dubie inde interpretandi sunt, quod homines commotioris animi, quae futura sunt, tanquam jam perfecta praevidere solent, ita ut futuri sipnificationem in aoristo inesse ex his quoque nullo modo conjici possit. Cetera diligentiore tantum interpretatione indigent ad praeteriti significationem recte intelligendam, ut Callimachi illud ἐφύλαξα et Euripidis κατενάσθην, de quo alius scholiastes haud dubie melius,

quam ille, quem supra citavimus: *ἐγὼ δὲ οἶμαι οὕτως ἐστὶν, ὅπου ἐν Φοινίκῃ κατετάχθην οἰκῆσαι τὸν Παρνασσὸν*, sicuti etiam ad v. 230: *γενόμαν· ἐτάχθην γενέσθαι, ἤτοι γενήσομαι.*

C. Tertia deinde veterum de aoristo sententia, quia comparatis aliis temporibus aoristi vim constituere conatur, haud dubie melior est, atque haec docet: quum imperfecti vis in *παρατάσει* nitatur, aoristi naturam esse *συντέλειαν* (cf. praeter alia Schol. in Iliad. ad ε, 842; ζ, 87, 162; η, 148; 421; ϑ, 1; 87; 486; ι, 442; 509; 578; λ, 368; 375; π, 474; 508; ϱ, 197; τ, 288; φ, 33; χ, 90; ψ, 225; ω, 212; 497). Quae doctrina quamvis primo quidem adspectu non nullius momenti videatur, tamen eodem, quo prima illa, vitio laborat, ut aoristum supervacaneum reddat tempus, quum eandem *συντέλειαν* in perfecto inesse agnoscatur (1).

---

(1) Sunt quidem, qui perfecti et aoristi *συντέλειαν* apud veteres differre putent, ut Herm. Schmidt. de imp. temp. p. 1, 2 et quos ibi affert; hos tamen errare, haec probat scholiastae nota ad Il. ϱ, 197: *γηρὰς ἀποκοπὴ τοῦ γηράσας τινὲς δὲ ἀπὸ τοῦ γήρημι, ὡς κίχρημι· παρατάσεως γὰρ μᾶλλόν ἐστιν ἢ συντελείας, γηρῶσι τοῖς γονεῦσι καὶ ἐν παρατάσει οὖσι τοῦ γηρᾷν, οὐχὶ τέλος λαβοῦσι τοῦ γήρως. ὁ γὰρ τέλος λαβὼν τέθνηκε· καὶ ἐνθάδε οὖν τὸ γηρὰς ἀντὶ τοῦ γηρῶν, οὐ γηράσας*; ipsique illi utriusque temporis *συντέλειαν* saepissime eandem agnoscunt, ut H. Schmidt. l. l. p. 5, quae Macrobius de Latinorum imperativo perfecti dicit, in Graecorum aoristi imperativum cadere docet.

II. SENTENTIAE RECENTIORUM USQUE AD CLARKIUM.

Mansit igitur recentioribus saeculis, sicuti omnes fere res ad antiquitatem pertinentes, ita aoristi quoque significatio quasi denuo constituenda. Quod autem ipsi Graeci non intellexerant, id majores etiam in errores induxisse prima recentiorum grammaticorum studia vix est mirum. Erat quidem primis post renatas literas temporibus grammaticae studium haud neglectum; at plurimis Latinam tantum grammaticam colentibus, Graecam, sicuti omnium fere literarum Graecarum cognitionem ad Hemsterhusium usque omnino negligentibus, per totum hoc tempus de aoristo doctrinam frustra quaerimus.

A. Non desunt quidem, qui de hoc quoque argumento locuti sunt, ut H. Stephanus Thucydidis illum scholiastam 1, 23 recte refutat, et Scaliger de caus. l. l. V, 113 (p. 294 ed. Commelian. 1609) in hunc modum disserit: »Unum est tempus, quod praeteritum infinitum appellarunt Graeci, *ἀόριστον*. Hoc veteres putarunt a Latinis ignoratum, exstat tamen in quibusdam, ut in passivis. Nam »caesus fuit« id est, quod *ἐτύφθη*: »caesus est« *τέτυπται*«; et Casaubonus in annalibus Baronii II n. 19 haec docet: »Ut si dicas *Ἰωάννου τρωθέντος ἦλθον οἱ ἰατροὶ*, verba quidem nihil amplius sonant, quam Joanne vulnerato venerunt medici; sed participii aoristi ea vis est, ut simul denotet celeritatem adventus multo magis, quam si dixeris *τετρωμένου*; attamen

quam ille, quem supra citavimus: *ἐγὼ δὲ οἶμαι οὕτως ἐστὶν, ὅπου ἐν Φοινίκῃ κατετάχθην οἰκῆσαι τὸν Παρνασσὸν*, sicuti etiam ad v. 230: *γενόμαν· ἐτάχθην γενέσθαι, ἤτοι γενήσομαι.*

C. Tertia deinde veterum de aoristo sententia, quia comparatis aliis temporibus aoristi vim constituere conatur, haud dubie melior est, atque haec docet: quum imperfecti vis in *παρατάσει* nitatur, aoristi naturam esse *συντέλειαν* (cf. praeter alia Schol. in Iliad. ad ε, 842; ζ, 87, 162; η, 148; 421; ϑ, 1; 87; 486; ι, 442; 509; 578; λ, 368; 375; π, 474; 508; ρ, 197; τ, 288; φ, 33; χ, 90; ψ, 225; ω, 212; 497). Quae doctrina quamvis primo quidem adspectu non nullius momenti videatur, tamen eodem, quo prima illa, vitio laborat, ut aoristum supervacaneum reddat tempus, quum eandem *συντέλειαν* in perfecto inesse agnoscatur (1).

---

(1) Sunt quidem, qui perfecti et aoristi *συντέλειαν* apud veteres differre putent, ut Herm. Schmidt. de imp. temp. p. 1, 2 et quos ibi affert; hos tamen errare, haec probat scholiastae nota ad Il. ρ, 197: *γηράς ἀποκοπὴ τοῦ γηράσας· τινὲς δὲ ἀπὸ τοῦ γήρημι, ὡς κίχρημι· παρατάσεως γὰρ μᾶλλόν ἐστιν ἢ συντελείας, γηρῶσι τοῖς γονεῦσι καὶ ἐν παρατάσει οὖσι τοῦ γηρᾶν, οὐχὶ τέλος λαβοῦσι τοῦ γήρως. ὁ γὰρ τέλος λαβὼν τέθνηκε· καὶ ἐνθάδε οὖν τὸ γηρὰς ἀντὶ τοῦ γηρῶν, οὐ γηράσας*; ipsique illi utriusque temporis *συντέλειαν* saepissime eandem agnoscunt, ut H. Schmidt. l. l. p. 5, quae Macrobius de Latinorum imperativo perfecti dicit, in Graecorum aoristi imperativum cadere docet.

II. SENTENTIAE RECENTIORUM USQUE AD CLARKIUM.

Mansit igitur recentioribus saeculis, sicuti omnes fere res ad antiquitatem pertinentes, ita aoristi quoque significatio quasi denuo constituenda. Quod autem ipsi Graeci non intellexerant, id majores etiam in errores induxisse prima recentiorum grammaticorum studia vix est mirum. Erat quidem primis post renatas literas temporibus grammaticae studium haud neglectum; at plurimis Latinam tantum grammaticam colentibus, Graecam, sicuti omnium fere literarum Graecarum cognitionem ad Hemsterhusium usque omnino negligentibus, per totum hoc tempus de aoristo doctrinam frustra quaerimus.

A. Non desunt quidem, qui de hoc quoque argumento locuti sunt, ut H. Stephanus Thucydidis illum scholiastam 1, 23 recte refutat, et Scaliger de caus. l. l. V, 113 (p. 294 ed. Commelian. 1609) in hunc modum disserit: »Unum est tempus, quod praeteritum infinitum appellarunt Graeci, *ἀόριστον*. Hoc veteres putarunt a Latinis ignoratum, exstat tamen in quibusdam, ut in passivis. Nam »caesus fuit« id est, quod *ἐτύφθη*: »caesus est« *τέτυπται*«; et Casaubonus in annalibus Baronii II n. 19 haec docet: »Ut si dicas *Ἰωάννου τρωθέντος ἦλθον οἱ ἰατροὶ*, verba quidem nihil amplius sonant, quam Joanne vulnerato venerunt medici; sed participii aoristi ea vis est, ut simul denotet celeritatem adventus multo magis, quam si dixeris *τετρωμένου*; attamen

haec omnia singulares magis observatiunculae sunt, quam quae omnem aoristi vim complecti volunt doctrinae.

B. Prima, quam inveni, recentiorum de aoristo doctrina est Henrici Ursini (in singulari libello, quem hoc de argumento Onomastico suo subjecit, cujus nobis tamen vivendi copia non data est, et in gram. graec. p. 162): »Nullius temporis proprium esse aoristum, vagari per omnia et continuationem quandam significare«: quam non multo post repetitam videmus a magno Perizonio (ad Ael. V. H. 1, 4) his verbis: »Forma — nullum certum vel ubique idem tempus, sed modo praeteritum, modo praesens, vel id, quod fieri solet, denotat«. Hanc tamen falsam esse aoristumque ad unum praeteritum pertinere, non difficile est intellectu, quum significationem solendi in aoristo nihil nisi partem illius historiacae esse sine multo acumine possit demonstrari.

Nam quum ceteri populi id, quod fieri solet, medio totius temporis puncto i. e. praesente exprimant, Graecus aoristo utens appellat quasi experientiam audientium (cf. Her. 2, 30 *ἀπὸ δὲ ταύτης τῆς πόλιος πλέων ἐν ἴσῳ χρόνῳ ἄλλῳ ἥξεις ἐς τοὺς Αὐτομόλους, ἐν ὅσῳ περ ἐξ Ἐλεφαντίνης ἦλθες ἐς τὴν μετρόπολιν*), aut (quod in similibus fit) narratiunculam profert vel fabellam, recte melius ita finem propositum se assecuturum esse ratus, quum omnis analogia in majore animi agitatione nixa [quippe qui conclusionem facere debeat duplicem, alteram a singulari (normali) in universale, alteram ab hoc universali in singulare (propositum)] in auditores majorem vim exercere soleat, quam mera regula talem animi agitationem non sinens, sicuti Aristoteles (Rhet. 2, 20) fabellam (quam in vetere Germanica lingua Bispel vocari non omittendem est) *παραδείγμασι* adnumerare non debitat. Hanc autem hujus usus interpretationem veram esse, inde probatur:

1) quod ad id, quod fieri solet, designandum aoristus imprimis a poetis tantum et oratoribus usurpatur, philosophis praesens usitatius est (cf. Rost gr. gr. §. 116 adn. 4 ed. III). Nam analogia, quippe in qua facile possit falli, philosophis haud ita apta est; oratores vero et poetae, quippe qui magis perceptioni loquantur, apte utuntur analogia, quamquam his quoque in iis rebus, quae non ut factum aliquod repraesentari possunt, aoristo usurpare non licet (cf. Il. 3, 12; 25; 4, 77; 143; 277;).

2) quod pro aoristo in talibus dictionibus cetera quoque tempora in narratione usurpata adhiberi videmus, imprimis imperfectum [non solum in similibus, ut Il. 5, 860; 14, 148 *ἴαχον*, 12, 156 *πίπτον*, 16, 352 *ἐπέχραον*, 11, 549; 15, 272 *ἐσσεύοντο*, 10, 7 *ἐπάλυνεν* Apol. Rhod. 3, 1371 *ἴαχεν*, et multa apud Nonnum et Q. Smyrn. (cf. Lehrs. quaest. ep. p. 293), sed etiam alias, ut Nic. Ther. 285: *σῆμα δέ τοι δάκεος αἱμοῤῥόου αὐτίκ' ἐνίσπω, ὅς τε κατ' εἰλυθμοὺς περώδεας ἐνδυκὲς αὔει, τρηχὺν ὑπ' ἅρπεζαν θαλάμην ὀλιγήρεα τεύχων· ἔνθ' εἰλυθμὸν ἔχεσκεν ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς·*] nec non perfectum, ut Il. 14, 195: *εἰ δύναται τελέσαι γε καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστί;* sicuti

adjectivum quoque verbale primitus nihil aliud est, nisi participium, hac significatione utens: »quod factum est ideoque posthac fieri potest« (quod recte jam intellexit Wiens. Ueber die ursprüngl. Bedeutung des Opt. und Conj. Münster 1837 p. 21).

3) quod eadem ratione apud ceteros quoque populos historicum tempus usurpatur. Nam si nostratium Herderus dicit: »Tapfer ist der Löwensieger, tapfer ist der Weltbezwingar, tapfrer, wer sich selbst bezwang«, quis historicum hoc »bezwang« aliter interpretari poterit, quam: »qui sese coercuit ideoque coercere potest et solet«? Nec aliter apud Romanos in eadem re historicum perfectum usurpatur (cf. Oeder. l. l. p. 23 sq.; Corte ad Sall. Cat. 53, 5; Bentl. ad Hor. C. 3, 23, 19; 29, 16; Jahni ib. et ab Virg. Georg. 1, 287; Kritz. ad Sall. l. 51, 11; J. 17. 16; Ramshorn. gr. lat. §. 164 Nr. 6; Haase ad Reisigii praecl. de l. l. p. 492), nec non participium eadem utitur significatione, ut »coercitus« i. e. qui coerceri potest. Sall. J. 91; »invictus« Tac. An. 4 Agr. 13, »infectus« Sall. J. 76, 1, [cf. etiam inaccessus, inadspectus, inexhaustus, inexpletus ap. Oederum l. l. p. 25, qui nos quoque recte monet eadem ratione dicere solere: unerschöpft, unergründet etc., quocum id quoque conferri potest, quod talia adjectiva nonnunquam praeteriti forma utuntur, ut »frass,« quod est: »gefrässig« (cf. Becker Organism. p. 93.)]

4) quod scriptores nonnunquam in universalibus enuntiatis consecutionem temporum mirum in modum ne-

gligunt ut Xen. Oec. 1, 5: ἆρα ὅπερ οἰκία, ἢ καὶ ὅσα τις ἔξω τῆς οἰκίας ἐκέκτητο, πάντα τοῦ οἴκου ταῦτά ἐστιν; et Cic. Acad. 2, 18, 16: An non videmus, hoc usu venire, ut, quos nunquam putassemus a nobis internosci posse, eos consuetudine adhibita tam facile internosceremus, uti ne minimum quidem similes viderentur, — aut talia adjungunt adverbia, quae in narratione tantum ferri possunt, ut Hor. Serm. 1, 1, 25: Ut pueris olim dant crustula (wie die Lehrer den Schülern einst wohl gaben).

C. Haec quamvis solendi significationem non differre ab historica satis luculenter demonstrent, tamen Ursini illam et Perizonii opinionem diu etiam valentem videmus et a doctissimis repetitam, ut a magno ipso Fichtio in Niethammeri annal. phil. I. p. 303: Die ersten Worte waren so unbestimmt als möglich, sie bezeichneten keine bestimmte Zeit, sondern waren bloss aoristisch; es wurde das Vergangene und Gegenwärtige zugleich ausgedrückt (cf. etiam p. 304, 317); ultimo, quod sciam, a Rothio in libro Grundriss der allg. Sprachl. 1815 §. 87 p. 55, recte tamen refutato in dissertat. doct. Frankofurt II. p. 217. (1)

(1) Aliorum hujus periodi opiniones de industria omisimus, partim, quia ne minimi quidem momenti sunt, partim, quia ex aliorum tantum relatione cognovimus, ut Buttstedii, qui in Specim. phil. in N. T. p. 97 pugnantia etiam aoristo tribuit: „actum continuatum et repetitum“ et Lambertii, qui in Semiotica sua §. 149 ita disserit: „Potest etiam omitti omnis finitio temporis, fere ut in aor. Gr., qnibus noster sermo Germ. destitutus formulas adhi-

III. SENTENTIAE RECENTISSIMORRM POST CLARKIUM.

Interea tamen jam melius hujus quaestionis tempus et magis frugiferum venerat. Nam quum post Grocini (cf. Th. Linacer. de emend. struct. serm. lat. p. 30 ed. Lips. 1559 et Scaliger. de caus. l. l. V, 113 p. 296 ed. Commel. 1609) et Vossii (de arte gramm. V. (de analog. III) 13) leves conatus meliore fortuna inde a Clarkio (vel potius ejus adnotatione ad Il. 1, 37, quam Fr. Aug. Wolf in praelect. de stud. antiq. ed. Gürtler I p. 97 non dubitavit appellare omnium, quae in Homerum ab illo conscriptae essent, optimam) Stoico-Varroniana illa doctrina, tempora in infecta et perfecta dividens, revocari coepta esset, aoristus quoque quem in hac divisione teneat locum, injudicatum relinqui non potuit.

A. a. Et ipse Clarkius, quamvis ceteris magis temporibus quam aoristo respectis, ne hunc neglexisse videatur, nomine, ut videtur, nixus, primo quidem satis arbitrarie ejus vim definiat: tamen, hoc adjungens exemplum: »Qui dicit *ἀποβαίνει,* rem tamquam praesentem et eandem infectam pingit historicorum more, qui *ἀπέβαινε*, ipsum motum praeteritum quidem sed inchoatum et tardiorem facit, qui *ἀπέβη* rem simpliciter ponit, *ἀορίστως* motumque, tardus an celer sit, non designat«, postquam emendatorem invenit Oederum, qui in Chronologia Grammatica Goett.

bet: Vielleicht ist es nur geschehen. Nun sollte es geschehen sein.“ (Reiz l. l. p. 11.)

1743 p. 37, quod Cl. de motus tarditate celeritateve docuerat: »id, recte dicit, spectat ad unum illud exemplum de *ἀποβαίνειν*, quod in motu inest; generatim autem sic habendum: aoristo contineri rem praeteritam quam utrumne inchoata sit an absoluta (i. e. perfecta) non designari«, et amplificatorem Harrisium, qui in Herme suo (transv. in Germ. ab Everbeckio p. 99) in hunc modum disserit: »Man bedient sich der tempp. zur Bezeichnung der gegenwärtigen, vergangenen und zukünftigen Zeit entweder unbestimmt, ohne Beziehung auf Anfang, Mitte und Ende, oder bestimmt in Beziehung auf dergleichen Abtheilungen. Zur unbestimmten Beziehung haben wir 3 tempp., einen Aor. der gegenwärtigen, einen Aor. der vergangenen und einen Aor. der zukünftigen Zeit«, cum his viris laude dignissimis haud dubie auctor fuit illius de a b s o l u t a aoristi significatione doctrinae, quam longe deinde valentem primus, quod sciam, Reizius (de temp. et mod. verb. Gr. et Lat. Lips. 1766) professus est; quae deinde tamen adeo varie terminata est a grammaticis, ut accuratius videatur consideranda.

α. Profectis autem illis haud dubie inde, quod actiones aoristo expressae non sicuti illae, quae imperfecto expressae sunt, aliis actionibus ita subjungantur, ut cum illis eodem tempore durasse dicantur; eodem quasi fundamento alii quoque nixi aoristum absolutum tempus vocasse videntur, ut post Primiserum (Gedanken über das v. H. Prof. Trendelenb. vorgeschlagene System d. gr. Conj. Leipz. 1793 §. 41) et Trendelenburgium (Anfangs-

gründe der griech. Sprachlehre ed. IV. 1796 p. XXXIII) imprimis Fr. Aug. Wolfius (l. l. p. 96); ita ut ex horum quidem doctrina absolutum tempus nihil aliud nisi historicum sit. Attamen hac ratione aoristi vim nondum perspectam esse, haud dubie inde cognoscitur, quod imperfectum quoque eadem ratione absolute usurpatur imprimis in lingua Germanica, nec non apud Latinos (Schadelook v. d. Zeiten der Zeitwörter u. ihrem Gebr. im Lat. Geschichtsstil. Rost. 1797 p. 26 sq. 52 sq.) et Graecos (H. Steph. append. d. dial. p. 142; Hermann. d. em. r. gr. gr. p. 243; Boeckh. in Plat. legg. p. 683 a; Reisig. ad Soph. O. C. p. 254 sq; Stallbaum. ad. Pl. Phaed. p. 29; Husckke Com. de Orph. Arg. p. 19; Jacobs. Anthol. Pal. p. 118, 329, 734; Winer Excurs. p. 85; Buttm. §. 399 Not.; Matth. §. 505; Kühner §. 441, 3—4; Bernhardy Synt. p. 372; Fritsch Kritik d. bisherigen Temp.- und Modus-Lehre p. 119), ita ut codd. saepe vacillent inter aoristum et imperf. (cf. Boissonade ad Eunap. p. 431; Philostr. Her. p. 530; Interpp. ad Evang. Marc. 6, 12; Joh. 8, 8; Jacobs. ad Anth. Pal. III p. 118; 329), quod quomodo fieri possit, ex hac temporum doctrina nullo modo apparet.

β. Alii autem absolutorum temporum rationem ita definiunt, ut, quum relativa tempp. »actum conjunctionis subjecti cognoscentis et actionis« in praesentia grammatici subjecti ponant, absolutis hunc actum in praesentia logici subjecti poni doceant; ita ut absolutum nihil aliud nisi perfectum sit (cf. Meinert. Phil. Sprachl. 178 p. 237 sq.; Silvester de Sacy p. 149; Vater. Uebersicht des Neusten, was f. Phil. d. Spr. in Teutschl. gethan ist. Gotha 1799 p. 260; Versuch einer allgem. Sprachl. Hal. 1801 p. 205; et in translat. Silv. de Sacy Hal. et Lips. 1804 p. 161; Becker. D. Gramm. 1836 I p. 187 et maxima sagacitate Herling. Synt. d. d. Spr. 1830 I. p. 185 sq.); attamen hac ratione quid Graeco aoristo faciamus? quum perfectum hoc sensu absolutum esse tempus ab omnibus agnoscatur. Qui autem duae ejusdem significationis formae quominus in lingua sint nihil impedire dicunt, ex his quaerimus, cur aoristo non hoc quoque sensu actionibus actiones adjungantur, ut, quamdiu illae tenuerint, tamdiu eas quoque, quae aoristo expressae sunt, tenuisse significetur. Nam absolutum quidem perfectum quin ita usurpetur nihil obstat, ut omnino recte dictum esse quis non videt: »So lange ich dort gewesen bin, habe ich mich der besten Gesundheit erfreut«, et Latinorum perfectum haud raro pone absolutum seu descripticum imperfectum invenitur, veluti Sall. J. 14. »Dum Canthaginienses incolumes fuere, jure omnia saeva patiebamur«; nec non in nonnullis German. dialectis, quum imperfectum conditionalis significatione utatur, ad relativas quoque rationes exprimendas semper perfectum usurpatur (cf. Schmeller. Mundarten Bayerns p. 941; 968; 988).

γ. Tertia denique de absolutis temporibus eorum est sententia, qui perfectum, quamvis in praesentia logici subjecti niti agnoscant, tamen ob hanc ipsam

causam relativum vocant; aoristi autem absolutam vim in eo niti docent, ut non ad praesens tempus referatur, sed ad unum logicum subjectum relatum per se constet, quapropter aoristicum aut subjectivum vocant [Bernhardi Sprachlehre I p. 221. Rosenberg. Vorschule der deutsch. Gramm. Berl. 1828 p. 355. Schulz Bedeutung und Aufeinanderfolge d. Temp. Brandenb. 1838. Schwalbe Beitrag zur historisch. Entwickl. d. Lehre v. d. temp. u. mod. d. gr. verb. 1838 p. 10 (1)]. At quaero, quid sit discriminis inter praesentiam logici subjecti (ad quam perfectum refertur) et ipsum logicum subjectum (ad quod ex hac doctrina aoristus refertur); et si quid esset veluti hoc, ut aoristum non gaudere objectivo quasi conjunctionis puncto inter logicum subjectum et actionem dicamus, qua ratione quaero actio tali tempore expressa cognosci posset? Nam ad praeteritas actiones cognoscendas necessarium est punctum aliquod commune cognoscentibus et actionibus, quod aut in praesentia (sicuti in perfecto fit) aut in praeterito (sicuti in imperfecto) esse potest; ubi tale punctum non est, nos quidem qui actio cognosci possit non intelligimus.

---

(1) Bernhardi l. l.: Ich kann nämlich eine Handlung einzig und allein in Hinsicht auf das darstellende Subject betrachten, folglich nicht in Rücksicht auf die nothwendigen Gränzen einer jeden Handlung. — Diese Art der Darstellung heisst sehr richtig aoristisch. Rosenberg l. l.: dagegen bezeichnet der Aor. die Zeit bloss subjetiv nur in Beziehung auf das darstellende Subject.

Praeterea quomodo haec doctrina in singulis locis aoristum defendere possit, equidem non video, quippe quae, quod tamen plurimi ne intellexisse quidem videntur, ne infinitivum quidem aoristi aliter atque per linguae inconsequentiam defendere valeat.

b. Haec haud dubie G. Hermannus recte intellexit. Nam (in libro de em. r. gr. gr. p. 180 sq.) illam divisionem in absoluta et relativa tempora quam supra (β) proposuimus, probans, novam ponit aoristi significationem, quum duobus illis temporum generibus tertium genus addat aoristicorum, non qualia Bernhardius posuerat, sed, ut ipsius verbis utar: »quae alteras duas classes ita conjungant, ut et certum et per se sint ac definitum et simul consecutionem complectantur aliorum temporum i. e. aut omne aut quodvis tempus«. Et firmius aliquid ex hac doctrina, quam ex illa, aoristum videri agnoscendum est; at videtur tantum. Nam quod primo quidem adspectu mirum videtur tempus, duo illa contraria et absoluta et relativa in sese conjungens, si propius accedimus, in nihil evanescit. Nam H. non id vult, in aoristo duas illas significationes semper conjunctas inesse, sed altero loco alteram. Et absolutae quidem significationi aoristum historice usurpatum tribuit, alteri solendi et possendi significatione utentem. Hanc tamen quum nihil aliud esse probaverimus, nisi partem aliquam alterius historicae, Hermannum nihil discriminis afferre posse inter suum praeteritum aoristicum et absolutum perfectum facile apparet.

Quae causa fuisse mihi videtur, quod unus tantum, quod sciam, Hermanianam hanc doctrinam repetere conatus est, G. W. Mueller in Hall. Encyclop. Sect. I, tom. IV p. 373 sq.; ceteri omnes, qui Hermannum secuti sunt, tertiam illam temporum classem cum prima conjuxerunt.

c. Quo autem tempore Hermannus illam proposuerat doctrinam, eodem fere Vaterus novam docuit aoristi significationem hanc (Versuch einer allgem. Sprachl. Hal. 1801 p. 219 R. 4): »Wenn die Sprachgewohnheit bestimmte Laute festgesetzt hat für das relative Zeitverhältniss eines nun auch schon vergangenen Zustandes, der als anfangend betrachtet wird, als ein anderer schon zum Theil oder ganz vorüber war, so ist dies der Begriff und die Form des tempus (perfectum) historicum z. B. während ich schlief, il vint; nachdem ich gesprochen hatte, je partis«; quae quamvis historici quidem temporis rationem optime declarasse videatur, tamen a nemine probata est nedum accepta, sed ab altera Hermanni mox sequente paene obruta.

B. Nam Hermannus, difficultates illas e sua divisione orientes haud dubie ipse intelligens, mox aliam posuit aoristi significationem (in censura Buttmannianae gramm. in diar. lit. Lips. 1806 Nr. 39 p. 617 et ad Viger. n. 215 et 224) »ejus, quod uno tantum momento includatur«; quod quamvis

primo loco nullo modo ex Herm. principio probari possit (nam qui alteram divisionis partem »momentaneum« efficere vult, ei prima pars non »relativum«

aut »absolutum,« sed »durans« vel tale quid ponenda est);

altero loco ineptissimum quoque sit, quum diuturnitatis notio ex iis, quas recentiores philosophi vocarunt relativas, adeo vaga sit et incerta, ut, in quibus aoristus usurpandus esset, aut diu haesitaremus aut plane etiam nesciremus; tamen, quum aliquid speciosi inesse negari non possit (1), ab omnibus ipsisque iis, quos aoristum absolutum habuisse tempus demonstravimus (imprimis Beckero Organism. §. 113. D. Gr. 1836 §. 11; 96; 219 et Kühnero gr. gr. II. p. 62) avide acceptum est; omnesque inde ab illo tempore ad nauseam usque de aoristi momentanea significatione loqui audimus, e qua alius alia ratione variam hujus temporis usurpandi rationem deducere studet, non recordans ante omnia id studendum esse, ut illam aoristi significationem cum ceterorum temporum significationibus ex uno atque eodem fonte originem traxisse probetur. Et quamvis non desint, qui hoc conati sint, tamen omnes momentaneum aliō sensu acceperunt nec differente ab absoluto, ut Schulzium l. l. p. 2 disserentem audimus: »Da der Aor. eine Handlung ohne weitere Modification in einen der drei Zeiträume verlegt und sie weder in ihrer zeitlichen Beziehung zu

(1) Cf. tales locos, ut ἐμαραίνετο παύσατο δὲ φλόξ. Il. 23, 228. ἅμα γὰρ οὗτοί τε τὸν βίον μετήλλαξαν καὶ τὰ τῆς Ἑλλάδος εἰς δουλείαν μετέπεσεν. Lyc. c. Leocr. p. 176. ὅτον που ἡμῶν δάκτυλός του πληγῆ, πᾶσα ἡ κοινωνία — ᾔσθετό τε καὶ πᾶσα ἅμα συνήλγησε. Pl. Rep. 5 p. 462 c. ἐὰν δέ τις αὐτῷ μακρὰν δίαιταν προστάττῃ — ταχὺ εἶπεν. ib. 3 p. 406 d.

anderen Handlungen noch auch in den einzelnen Momenten ihres Geschehens verfolgt, so ergiebt sich hieraus, dass das auf diese Weise dargestellte Factum als ein Punkt erscheint, in dem Anfang, Verlauf und Ende desselben, mag es noch so lange gedauert habe, auf einmal und zugleich gedacht und für die Betrachtung nicht geschieden werden«, non fere aliter atque jam Bernhardius l. l. I p. 221 et Vaterus ad Silv. de Sac. p. 159 de absolutis suis temporibus disseruerant. Hoc vero Hermannum optimosque illius doctrinae sectatores non voluisse, probant talia eorum dicta ut Buttmanni (ampl. gr. II. p. 135) »Aorist könnten diese Formen nur dann sein, wenn sie ein im Augenblick vollendetes Retten bedeuteten« et tales conjecturae ut Hermanni ap. Theocr. 14, 32, ubi aoristum *ἔκλαεν* alias non inventum omnino e principio suo emendat in imperfectum *ἔκλαι*. Nam lamentatio, concedendum est, unum tantum momentum implens comoedia est illi loco haud ita apta.

C. a. Quae quum ita essent, fieri non potuit, quin nova hujus rei quaestio necessaria videretur, quam tandem subiit Fritschius et (in libello de Aoristo 1836 p. 14) hanc proposuit sententiam: »Omnibus aoristi formis actio ita designatur, ut ejus extensio et ambitus vel quod aliud de ea praedicari potest, nonnisi reticeatur. Contra imperfectum et formae praesentis actionem exprimunt durantem et per tempus aliquod extensum. Aoristus igitur non omnia complectitur, quae imperfectum et praesens; sed hoc adeo non intellexerunt grammatici, ut

quod deesset ei, non curarent ac potius permulta in eum congererе studerent«.

b. Haec doctrina, quamvis difficile sit visu quomodo ab illa de re momentanea differat, tamen duos excitavit laudatores, alterum in Rhenano Mus. an. 1837 p. 621, alterum in Seebodii annalibus phil. et paed. XX. p. 124 sq., qui occasione oblata ipse hanc proponit doctrinam: »Die Bewegung des Handelnden misst der Mensch durch sein Auge, indem er dasselbe auf irgend einen Punkt hinrichtet und so eine feste Linie erhält, Innerhalb dieser Linie ist die Gegenwart, was auf die Linie zukommt: Zukunft; was durchgegangen ist und nach der anderen Seite hingeht: Vergangenheit. Dies gibt die absoluten Tempora oder die definitiven Zeitbestimmungen, weil der Beobachter die Ausdehnung der einzelnen Bewegungen und Handlungen nach den drei Zeitabschnitten in sinnlicher Fortbewegung vor sich hat. Dieser directen Zeitbestimmung steht die indirecte entgegen, wo man das allgemeine Zeitmass nicht nach eigener Anschauung bestimmt, sondern durch die Beobachtung eines dritten empfangen hat und diesem nacherzählt. Sie gewährt nicht die sichere und definitive Anschauung. Dies ist die aoristische oder indefinite Zeit. — Die aoristische Zeitbestimmung kann also nur solche sein, welche eine stattgefundene oder stattfindende Bewegung oder Handlung bloss als That d. h. als eine Handlung angiebt und alle Ausdehnung und schärfere Abgränzung ausschliesst.« Facile

deinde ex hac significatione variam aoristi usurpandi rationem deduci posse dicit, imprimis ad res gestas narrandas »als Darstellung des früher Beobachteten« et ad id quod fieri solet exprimendum »weil Erfahrung auf fremder Beobachtung beruht« (!!).

c. Haec quamvis maximam partem vaga esse ipse auctor viderit, quapropter addit: »Es thut der gegebenen Theorie keinen Eintrag, seine eigenen Beobachtungen im Aor. zu erzählen, weil das Subj., wenn es sich in zwei Zeiten denkt, von seinem Ich ein gegenwärtiges und ein nicht gegenwärtiges unterscheiden kann«, tamen Fritschio placuisse videntur, qui (etiamsi non confitetur) haec adaptans quaeque inde sequuntur deducens, non multo post in libro »Kritik der bisherigen Modus- und Tempus-Lehre 1838 p. 167 hanc proponit studiorum suorum summam: »Es deuten die Formen des Praes. und Imp. auf logische Ueberordnung, auf Hervorheben der bezeichneten Thätigkeit, hierauf muss man die dem Imp. beigelegte Bedeutung der Dauer zurückführen; die Formen des Aor. auf logische Unterordnung und demgemäss entbehren sie der Bedeutung der Dauer (haben aber nicht die entgegengesetzte des Momentanen) und sind besonders geeignet zur fortschreitenden Erzählung«. At vero haec, quum non aliud discrimen inter imperfectum et aoristum ponat, quam loquentium arbitrium, ita ut pro unoquoque imperfecto aoristum poni posse ex hac doctrina dicendum sit, nec non, quod ne uno quidem probari potest exemplo, pro iis imperfectis, quibus relative aliis actionibus aliae additae sunt, adeo non sufficiunt, ut nos quidem nullo modo adsentire possimus.

Hae sunt, quas de aoristo invenire potui doctrinae omnes, quas ad refutandas nescio an hac ratione colophonem addere possimus. Nam quum uniuscujusque sit doctrinae, quaecunque est et quacunque de re, ut omnia, quae ad eam pertineant, mira per se intellectu et propria, e suis ipsius principiis expediat atque interpretetur, ab aoristi doctrina haec fere ut respondeantur juste postulari posse mihi videtur:

1) cur aoristo, quod supra jam monuimus, non ita quoque actionibus actiones addantur, ut quantum temporis illae duraverint, tantum eam quoque, quae aoristo expressa est, durasse significetur;

2) quum aoristi modi eadem ad praesentis modos sese habeant ratione, atque indicativus ad imperfectum, cur non indicativus quoque sit eandem ad aoristi modos rationem habens, atque praesentis indicativus ad modos;

3) quae sit cognatio aoristi et futuri, quae non solum e forma apparet, sed per omnes quoque modas cognoscitur, ita ut de vere praesentibus rebus nihil nisi praesens usurpetur (ex. gr. post ὅρα μή et similia cf. Herm. ad Viger. p. 810); quocum consentit, quod infinitivus quoque post ea tantum verba, quae per se in futurum spectant, a veteribus grammaticis

προαιρετικά vocata, praesentis significatione uti videtur, non post verba sentiendi et declarandi, non absolute usurpatus, non ad consecutionem indicandam; nec minus participium quoque praesentis significatione nunquam utitur;

4) ut significationis aoristo vindicatae tempus in perfecta temporum doctrina necessarium esse demonstretur, atque, quum aoristum quidem secundum primum verbi tempus esse e multis indiciis appareat, signifacatio ea sit, quam primo linguae tempori impertire non dubitemus;

quarum quaestionum, ut nobis quidem videtur, justissimarum, ne ad unam quidem ab illarum doctrinarum, quas supra recensuimus, auctoribus responderi poterit.

Jam vero, quum ad fines usu praescriptos pervenerimus, ceteras partes, quae nostram de aoristo sententiam continent, alio loco dabimus.

VITA.

Natus ego Fridericus Guilelmus Augustus Fecht Berolini pridie Cal. Apr. anno hujus saeculi XXI patre Augusto Friderico Alexandro, scriba regio, matre Friderica e gente Koethen, etiamnunc viventibus, prima institutionis initia accepi in Lindemanni magistri schola elementaria. Annum deinde agens duodecimum gymnasii Friderico-Guilelmiani, florentis etiamtunc Spillekio rectore, traditus sum disciplinae atque institutioni. Ubi postquam per octo annos commoratus sum, auctumno anni XL maturitatis testimonio instructum ad theologica philosophicaque studia exercenda in album civium academicorum Aug. Twesten me inscripsit. At theologiae meo amore mox superato voluptate illa, qua inter omnes maxime me implecit Augustus Boeckhius antiquitatis studiorum, his omnino deditus per triennium praeter Boeckhii scholas frequentavi Lachmanni, Zumptii, Franzii, Heisii,

Benarii, Geppertii, Krügerii, Maerkeri, Panofkae; et gratissimum mihi fuit, quod in seminarium regium philologicum me recepit Boeckhii et Lachmanni benevolentia. Imprimis autem quum linguarum studio delectarer, Boppii quoque praelectionibus de lingua Sanscritana interfui. Quamquam inter haec studia nec theologiam neglexi, cujus praeceptores adii Twestenium, Vatkium, Uhlemannum, nec historiam, de qua disserentem audivi Rankium, nec philosophiam, in qua si profeci, debeo Werderio et Trendelenburgio.

His viris doctissimis et illustrissimis, quaecunque didici, accepta refero et hac occasione oblata gratias ago quam maximas.

THESES.

1. Errare eos, qui Platonem in Theaeteto sophistarum tantum placita refutasse nec de sua sententia quidquam aperuisse putent.
2. Quod Plato tn Theaeteto de philosophis et iis, qui a philosophia alieni rem publicam gerant, disserit, non digressionem habendam esse.
3. Quod Aristoteles judicat: linguam esse κατὰ συνθήκην, omnino probandum esse nec ab omni parte a Platonis de linguarum origine sententia discrepare.
4. In Orientalium linguarum verbo temporum dichotomiam ita interpretandam esse, ut neutro tempore ad certum temporis spatium respici dicamus, sed altero actionem sub specie fiendi, altero sub specie essendi cogitatam esse.
5. Hor. carm. 3, 17, 5 Bentlei conjecturam: »ducit« falsam esse.